



**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Vtrum ad motus gratiæ præuenientis intellectus & voluntas efficienter  
concurrent, & ordine & modo quo generentur. disp. 43.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

imò quibus in fide roborantur, adeoque caritate inflammantur, vt perfecta caritas foras mittat timorem, ac proinde, qui non levia spiritus sint testimonia, quod sint filii per gratiam gratum facientem adoprat: nihilominus regulariter numquam ita certi omnino sunt, vel motus illos esse immisso à Deo, vel se esse in gratia gratum faciente cōstitutos, quin falli interdum possint. Atque ita semper eos coram Deo humiliari oportet, & sub occultis Dei iudicis vereri, ne forte, etiam existentibus tam verisimilibus indiciis, iustitiam Dei non sint assecuti. Vnde Ecclesiastes 9. *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei. Et tamen nefici homo vtrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta.* Et Iob 9. *Si venerit ad me, non videbo eum: si abiurit, non intelligam.* Et paulò inferius: *Si simplex fuerit, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Et Paulus primus ad Corinthios 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* In sensu ergo explicato intelligendum est fideles saepe in se ipsis motus gratiae experiri.

## DISPUTATIO XLIII.

*Vtrum ad motus gratiae præuenientis, intellectus & voluntas efficienter concurrant, & de ordine, & modo quo gerentur.*

**S**uperest examinemus an motus gratiae præuenientis & excitantis à solo Deo efficiantur: an vero simul etiam intellectus efficienter concurrat ad illustrationes gratiae, quibus illustratur, & voluntas ad affectus & motus gratiae excitantis, quos suscipit.

Andreas à Vega li. 6. in Concilium Tridentinum cap. 8. existimat, in primis, vt intellectus intelligat, & voluntas velit, necessarium non esse, vt intellectus, qua formaliter intellectus intelligit, efficiatur ab illo saltem tamquam ab una parte totius causarum efficiens: sed per intellectum à Deo solo aut ab Angelo productam, & in eo receptam, posse formaliter intelligere. Eodem modo necessarium non esse, vt voluntas, qua voluntas formaliter vult, sit ab ea saltem tamquam à parte causa efficienter producta: sed recte posse velle per voluntatem à solo Deo productam. Hac putat esse communem philosophorum sententiam. Deinde vero, quod ad questionem propositam attinet, probabiliter existimat, illustrations, & alios motus gratiae præuenientis, quibus peccatores, tum ad fidem, tum ad iustificationem vocantur, esse à solo Deo efficienter, intercumente aliquando ministerio alicuius Angeli inspirationes immissentes: intellectum vero & voluntatem nullo modo concurrere ad eiusmodi motus efficienter, sed solum eos in se suscipere.

Probat suam sententiam primò, quoniam id videtur definitum in Concilio Araucano secundo, canone 20. ybi ita habetur: *Multa in homine bona finit, que non facit homo: nulla vero facit homo bona, que non Deus prefecit, ut faciat homo.* Porro que ita fiunt in homine, vt homo eam faciat, non videntur esse alia, quam motus gratiae præuenientis, quibus à Deo vocatur, attributus, & inuitatur.

Secundò ex illo Apocal. 3. *Sto ad ostium, & pulsati, si quis audierit vocem meam, & aperiuerit mihi ianam,* &c. Quibus verbis se docet Christus habere instar pulsantis ad ostium dum peccatores vocari: cum ergo pulsatio sit solum à pulsante, neque in habitatore domus sit libertas, nisi ad audiendum, vel ad occcludendas aures, ne sonum percipient, itemque

A ad aperiendum, vel non aperiendum, utique motus gratiae præuenientis, quibus peccator vocatur, erunt solum à Deo: peccatoris vero solum erit illis consentire, vel dissentire, atque adeo ianam coridis aperire, vel non aperire.

In contraria sententia est Dominicus à Soto primo de natura & gratia c. 16. nempe motus illos efficiuntur efficienter ab intellectu & voluntate. Quae sententia est procul dubio amplectenda. Ratio est, ratione quoniam, vt disputatione 8. 9. & aliis explicatum est, illuminationes illæ nihil aliud sunt, quam cognitiones ab externo concionatorum, aut ab Angelo interiori aut aliunde excitatae, & à Deo peculiaris supernaturali influxu adiutae, quibus homo conspicit, aut penetrat id, quod sub talen cognitionem cadit, eo cognitionis genere, quod ex tali supernaturali influxu ad salutem sit iam aliquo modo accommodata. Neque Deus immittit nouas species, quibus cognitiones illæ fiant, sed inserens se per suum influxum cognitionibus, quae per species acquisitas sunt, & à concionatoribus, aut ab ipsorum Deo, vel ab Angelo, aut aliqua alia ratione excitantur, efficit cognitiones illas ad salutem accommodatas, plus vel minus pro ratione majoris vel minoris influxus: quare Deum ita illuminare & vocare, non est aliud, quam suu influxu cooperari illo modo ad illas cognitiones, quibus voluntas excitatur. Cum ergo cognitione non solum sit actio, sed etiam sit vitalis actio, qua suapte natura possumat, ut sit à principio interius in quo est: nulla vero actio, etiam non vitalis, denominare possit nisi id, à quo efficienter emanat, vt in hac prima parte, questione 12. a. 5. ostensum est: neque enim calefactio, qua non fieret ab igne, sed à solo Deo in aquam, posset illa ratione denominare ignem (calefactem) consequens est, vt predicta illuminationes, cognitiones, & supernaturales, necessariè sunt ab intellectu tamquam ab una parte totius causarum efficiens: ramet non intellectum ipsum, sed Deum, à quo est pecularis illi supernaturalis influxus, denominant illuminantem, & vocantem: intellectum vero, à quo habet, vt sunt cognitiones, denominant cognoscendem: & simul etiam illuminatum, quatenus cognitiones ipse, atque influxus Dei in eo recipiuntur.

Idem dicendum est de affectibus gratiae, quibus prævia cognitione voluntas erigitur & inuitatur, ut ad eliciendam spem, tum ad diligendum Deum, antequam actum spei, aut amoris, vel doloris ex dilectione eius elicatur. Licet enim ad huiusmodi affectus & motus non cooperetur voluntas, quæ liberum arbitrium est, sed, velit nolit, praesente cognitione insurgant, & patiatur illas supernaturales, rationeque habentes gratiae præuenientis, si Deus simul in eisdem specialiter influet: nihilominus motus illi actiones quedam vitales sunt, quas in se ipsa experit voluntas, ad quas proinde necesse est concurrat efficienter, non quidem quæ liberum arbitriu est, sed quæ voluntas, & natura quedam est: modo, quo efficienter etiam concurrat ad motus primi primos, qui non affectus, atque excitationes voluntatis ad volendum aut noleendum sunt, sed volunties auctoritatis: ratione tamen virtutis ac virtutis non habet, esto circa bonum, aut malum obiectum versetur, eò quod liberum non sunt.

Vt vero res hæc scitu dignissima plenius intelligatur, animaduertendum est: Ex contemplatione rei naturali, & quam multum refert adipiscere, naturaliter consurgere in voluntate motum quemdam, quo voluntas ad illam afficitur: qui motus non est voluntio, sed affectio voluntatis ad illam rem, à cuius origine bonitate.

Opinio Ve.  
g. 6.

Probatur  
primò.

Secundò.

bonitate quasi tangitur, & allicitur, ad volendum eam. Neque hic motus solum in hominibus solet antecedere volitionem, sed etiam in Angelis. Prius namque tempore, vel natura fuit, Luciferum ad id affici voluntate, quod per superbiam obtinere voluit, quam per voluntatem illud vellet contra legem Dei. Sicut prius etiam fuit, Euam affici ad pomum vetitum; id quod Scriptura Genesios 3, statim innuit illis verbis, *vñit mulier quod bonum esset lignum ad vñscendum, & pulchrum oculis, aspectusq[ue] delectabili*, quam illud comedere vellet contra legem Dei. Porro licet in contemplatione eiusmodi rerum integrum sit voluntati, eas velle aut nolle, vel continere volitionem ac nolitionem: attamen quod ad illas non afficiatur, non alia ratione impeditur potest, quam arcedo cogitationem, & diuertendio ad alia, vel proponendo voluntates alias, que ad contraria omnino eam allicere solent: sublati namque impedimentis, ex contemplatione simillium rerum consurgunt eiusmodi motus merè naturaliter in voluntate. Vnde Augustinus 3, de libero arbitrio cap. 25. *Volumarem, inquit, non allicit ad faciendum quodlibet, nisi aliquod vñsum: quod autem quisque vel sumat, vel respuat, est in potestate: sed quo vñfo tagatur nullus est potestas.* Et subiungit, idem etiam cerni in Angelis. Quod si existente affectu ad aliquam eiusmodi rerum menti occurrat via & aditus, quo obtineri posse credatur, naturaliter etiam consurgit in voluntate motus quidam quasi erectionis illius ad sperandum, qui tempore, vel natura antecedit actum liberum spei. Porro motus ille à notitia bonitatis obiecti, & notitia via, qua obtineri posse creditur, aut non impossibile iudicatur, cooperante voluntate, non vi libera, sed vt natura quadam est, efficitur: consurgitque naturaliter in voluntate, eo maior, quod notitia bonitatis obiecti, & via qua obtineri posse creditur, maior ac verisimilior est, vt de illo alio motu affectus voluntatis ad obiectum bonum cognitione dictum est.

*Gratia præuenientia motus*  
motus  
actiones  
funeritales,  
& quo patet  
fiant.

Ex his facile intelligi potest, motus gratiae præuenientis actiones esse vitales, qui sunt, quomodo sicut, & an sint motus liberi arbitrij, quā liberum arbitrium est, vel nō, atque quoūque à liberō arbitriō pendeant. Etenim cum Deus per gratiam, quam nobis largitur, non tollat, sed ponat, ac perficiat naturam, eamque adiuuet in suis motibus, vt vñusquisque ex supernaturali auxilio & gratia talis sit, qualis ad salutem oportet: sanè ad dignoscendos & explicandos motus gratiae, necesse est, attendamus ad progressum ac ordinem, quem natura ipsa, potentiores cognoscentes & appetentes seruerat, si illos eisdē actus, quibus iustificamur, suis solis viribus quoad substantiam actus producerent, vt ea ratione intelligatur, quo pacto Deus per auxilia ac dona gratiae le inserat & cooperetur cum natura, eamque adiuuet, vt supra suas vires eos producat, quales ad salutem sunt necessarij.

Disputatione 8. 9. & sequentibus ostensum est, Deum, cum aliquem illuminat & vocat ad fidem, nō producere species, arque notitias rerum credendorum, sed haberi eas ex rebus ipsis antea cognitis, vel ministerio concionatoris, vel aliqua alia ratione, vt latè ibi explicatum est: eaque de causa dictum ibidē est, illuminationem nostram, & internam vocationē, qua à Deo vocamur ad fidem, multūm pédere à nostro libero arbitrio, & conatu Ecclesiæ. Cū enim sine eiusmodi notitiis non fiat, vtique quantum illæ, vel à nostro libero arbitrio, vel à conatu Ecclesiæ pendent, tantum, tamquam à conditione sine qua non illum inabinur, pender regulariter & secundum

A communem cursum diuinæ prouidentię, quod à Deo illuminemur, & vocemur. Idem dictum est ibidem de motibus gratiae excitantis ad contritionem.

Accipe ergo ordinem motuum gratiae præuenientis, similique cognosces quinam sint isti motus, & quomodo sicut. Dum homo, nondum ad fidem supernaturaliter interius vocatus, cogitat & expedit res credendas, per notitias concionatoris ministerio, aut aliunde comparatas, influxit Deus in eadem notitias influxu quodam particulari, ac supernaturali, quo cognitionem illam adiuuat, tum vt res melius & dilucidius expendatur, & penetretur, tum etiam vt notitia illa iam limites notitiae supernaturalem & ad finem supernaturalem in suo ordine & gradu accomodata attingat. Influxus vero ille dicitur motus gratiae præuenientis ad fidem supernaturalem & illuminatio: notitiaque illa & cognitione effecta iam à Deo supernaturaliter per talem influxum, appellatur gratia præueniens ex parte intellectus. Ex cognitione vero & penetratione easdem rerū, quae ad fidem spectant, nempe cum expenditure quam digna sint quibus assensus adhibeat, quantumque id expediat, oritur naturaliter in voluntate motus affectio- nis ad res ita cognitas, quo allicitur, & quasi inuitata ad imperandum intellectui affectum: quo eis absentiatur. Cum hoc ergo motus quasi se inferit etiam Deus, influens in illum per auxilium particulare, illiciūque eo auxilio quasi acuit, vt magis urget & allicit, efficitque illum supernaturalem, vt in suo ordine & gradu sit etiam ad salutem accommodatus. Auxilium itaque particulare, quo Deus in illum motum influit, appellatur auxilium gratiae præuenientis: motus vero ille, atque affectus voluntatis circa ea, que ad fidem spectant, quatenus à Deo supernaturalis efficitur per auxilium illud, dicitur gratia præueniens ad affectum fideli ex parte voluntatis. Disputatione narratae octaua explicatum est, vocationem ad fidem, idem quo ad credendum Deus rostrahit, duos illos motus gratiae præuenientis tam intellectus, quam voluntatis, comprehendere.

Ex his patet, hos duos motus gratiae præuenientis actiones esse vitales intellectus & voluntatis, multumque pendere à libero arbitrio, imo & liberum arbitriū posse illos desiderare, & petere à Deo, & quodammodo se ipsum aprare & disponere, vt iuxta ordinem cursum ac ordinem diuinæ prouidentię, faciliter sibi à Deo donentur: at propriè loquendo nō suntractus liberū arbitrij, nō solum quoniam illustratio intellectus est potest per cogitationes, in quas absque illa deliberatione, motu liberi arbitrij inciderit homo, vt quas Angelus, aut Deus in eum expresserit, aut excitauerit, vel alius sermonem fugiesset ante omnem motum liberi arbitrij, sed etiā quoniam quod cogitatio illa euadat illustratio & gratia præueniens, solum id habet ex influxu supernaturali Dei, & per comparisonem ad Deum, tamquam ad eam suam illuminantem, non vero per comparisonem ad intellectum: quamvis, nisi simul cooperaretur intellectus, cogitatio & illustratio illa non esset in rerum natura: quare talis illustratio, quā illustratio est & gratia præueniens, non est actus liberi arbitrij. Effectus vero supernaturalis voluntatis circa ea, quae ad fidem spectant, inerit naturaliter oritur in voluntate existente illustratione intellectus, similique influente Deo in illum per concursum particularem, neque cooperatio voluntatis ad illum est in libera potestate voluntatis, sed merè naturaliter ex ea resultat, quatenus natura est, non vero quatenus liberum arbitrium est, vt paulò antea fuit explicatum: tametsi, vt liberū arbitrium est, arcendo cogitationem,

*Ordo motū  
gratiae præ-  
uenientis.*

tationem, aut adducendo rationes alientes voluntatem in partem oppositam, possit impedire, ne insurgat Porro liberum arbitrium his duobus motibus gratia præuenientis adiutum & excitatum, liberam adhuc habet potestatem imperandi, aut non imperandi assensum fidei. Quod si voluntas fidem amplecti velit, actumque credendi imperet intellectui, influente simul motu gratia præuenientis, quam habet, elicit in se ipsa actum supernaturalem, quo fidem amplecti vult, quoque assensum imperat intellectui, similiusque intellectus motus imperio illo supernaturali voluntatis illustratione quæ diuina adiutus, elicit actum supernaturalem assentiendi reuelatus, hisque duobus actibus supernaturalibus intellectus & voluntatis homo ritè dispositus suscipit habitum fidei supernaturalis à Deo solo infusum, quo deinceps similes actus supernaturales valeat producere: complectiturque is habitus duas partes, ut disputatione octava explicatum est: alteram quæ in voluntate refidet ad imperando assensus credendi intellectui; alterā quæ in intellectu ad elicendos eodem assensus imperatos à voluntate, sita est: hæc vero pars sola est, quæ habitus fidei supernaturalis propriæ appellatur.

*Motus gratia præuenientis ad spem, & contritionem, aut attritionem supernaturalem necessarij, in hunc modum generantur. Dum intellectus, illustratus iam lumine fidei supernaturalis, semipaternam beatitudinem homini à Deo præparat cogitat, bonitatem ac excellentiam illius, tum multa alia & præclaræ Dei opera, ac beneficia in hominē collata, de quorum numero sunt Christi incarnationis, ac passio, consideratque reliqua media quæ sibi ad vitam æternam consequendam abundantissem suppeditata sunt, naturaliter oritur in voluntate, non solum affectus ad beatitudinem, quo allicitur & inuitatur, ut eam amore concupiscientia velit, sed etiam motus unctionis, quo attrahitur, & allicitur ad eam ipsam à Deo sperandam. Quamvis autem hic motus à libero arbitrio pendeat, si à cogitatione, ex qua motus oritur cesseat, et si difficultates proponat quibus voluntas omnino deprimitur, ac deterreatur nihilominus, sublati impedimentis, merè naturaliter in voluntate insurgeat, eique quasi se ingredit Deus specialiter influendo, cumque acuit, & efficit supernaturale, ut in suo ordine & gradu sit qualis ad salutem necessarius est: per eumque supernaturaliter erigit, & quasi invitat voluntatem, ut eliciat actum supernaturalem sperandi semipaternam beatitudinem, & media ad illam comparandam necessaria. Motio ergo illa, siue influxus supernaturalis Dei, appellatur auxilium gratia præuenientis ac excitantis voluntatem ad sperandum, ut ad salutem oportet. Ex quibus etiam patet eiusmodi motus operationem esse vitalem voluntatis, neque esse actu illius, quæ liberum arbitrium est, sed quæ voluntas ac natura est: tametsi modis illis suprà explicatis pendeat à voluntate ut liberum arbitrium est. Per eiusmodi ergo gratiam liberum nostrum arbitrium, à Deo præuentum & excitatum, elicit, si vult, prius actum spei supernaturalis liberum, quo ritè dispositum confequitur à Deo habitum spei supernaturalis, per quem in posterum eliceret possit alios similes actus supernaturales quotiescumque voluerit.*

*Deinde cum intellectus lumine fidei illustratus, præexistenteque actu spei supernaturalis in voluntate, Dei bonitatem, tum secundum se, tum erga nos, considerat, & tam multa ac magna beneficia quibus tam suauiter nos præuenit, naturaliter excitatur in voluntate motus affectus amoris amicitiae erga Deum,*

quo ea potentia allicitur, & ad Deum diligendum inuitatur. Huic etiam motui (qui licet etenim pendeat à libero arbitrio, quatenus potest de Deo non cogitare, aliōve cogitationem diuertere, nihilominus, posita debita noritia ac lumine in intellectu, naturaliter oritur in voluntate) se inserit Deus illuminans, quæ suo supernaturali influxu, nō solum acuit, & incendit, sed etiam efficit supernaturalem, qualis videlicet in suo ordine & gradu est ad salutem necessarius. Influxus ergo, quo Deus in illum influit, appellatur auxilium gratia præuenientis ad diligendum, ut ad salutem oportet: motio vero ipsa & affectus, ut est à Deo per illum influxum, dicitur gratia præuenientis & excitans liberum arbitrium ad diligendum Deum, ut ad salutem oportet. Quod si simul *Circa pa-* *lma d-* *ad prece- lo* *psalmi* *liberū arbitrium gratia eadem præuenit, ut eliceat effectus auctiōnē dictionis Dei supernaturalis, ita poterit elicere actum veri doloris de peccatis propter Deum ex affectu amoris supernaturalis dilectionis, qui est vera contritio, & ultima dispositio ad gratiam gratum facientem, quæ in eodem instanti posterius tamē natura, contritionem ipsam consequitur.*

*Quod si quis, intellectus per lumen fidei illustratus, cogite se propter lethalia peccata ius ad semipaternam felicitatem amississe, ignem, & crucias semipaternos, extremamque misericordiam promeruisse, naturaliter ex tali cogitatione insurgeat, solet in voluntate motus timoris Dei, qui adeò peccata detestatur, &acerbe punxit. Huic autem motui solerse inferere Deus influxu supernaturali, cum aciendo, ut plus stimulet ac pungat, tribuendōque illi esse supernaturale seruili timoris. Eo autem timore liberum arbitrium adiutum & excitatum, eliceret potest dolorem supernaturalis de peccatis ex Dei timore ac gehennæ, qui dolor est attritus supernaturalis cū sacramento sufficiens ad gratiam iustificationis comparamandam.*

*D* *Ad primum ergo argumentum Andrea à Vega dicendum est, ea quæ Concilium Araucanicum dicit fieri in homine, quæ homo non efficit, esse tum habitus supernaturales infusos, quos solum Deus efficienter producit, tum etiam motus gratia præuenientis: qui, ut explicatum est, non sunt ab homine cooperante per intellectum & voluntatem, quatenus rationem liberti arbitrii fortuntur. Porro eo loco illa solùm censemur homo facere, quæ per liberum arbitrium, quæ liberum arbitrium est, efficit. Et enim ibi sermo aduersus Pelagianos de bonis quæ ad vitâ æternâ spectat: cum enim illi contendenter, hominē per suum liberum arbitrium absque auxilio gratia posse, imò re ipsa efficere, aliqua eiusmodi bona quibus auxilia gratia sibi deinceps conferenda promergetur, definitum Concilij Patres, Deum quidem, sine homine cooperante per suum liberum arbitrium, efficere in homine aliqua de numero corum bonorum: hominem verè per suum liberum arbitrium nullum eorum posse efficere, nisi Deus ille per suam gratiam praester, ut illud efficiat. Quare non negant Patres vel intellectum, vel voluntatem, quatenus natura est, cooperati ad motus gratia præuenientis.*

*E* *Ad secundum dicendum est, Christum dum peccatores vocat, non pulsare ostium, quod vita caret, dicavit per minimèque pulsationem percipiat: sed pulsare ostium cordis, hoc est, intellectum & voluntatem, quæ duo vocacionem motumve, quo peccator à Deo vocatur, in seipsis experiuntur, neque aliter quam elicendo simul operationes vitales, quibus peccator à Deo vocatur.*

*Gratia præuenientis motus ad contritionem.*

catur, & ad fidem, vel ad pœnitentiam, vel ad ali-  
quod aliud bonum allicitur, quas proinde in se ipso  
experientia deprehendit homo, ut & cæteras viri,  
tam cognoscentium quam appetentium operatio-  
nes. Imo sicut, qui pulsat ostium, ea ratione pulsat, ut  
qui intus est percipiat sonum, indeque mouetur  
ad aperiendum ostium: ita Deus ea ratione pulsat ac  
mouet cor, ut motus percipiatur, indeque vterius  
per liberum arbitrium mouetur homo ad consen-  
tendum motioni, efficiendūque id ad quod per  
illam inuitatur, ut eeratione aditus Christo in ani-  
mam concedatur: motio autem illa minimè depre-  
henderetur, nisi ad eam vitaliter influenter poten-  
tia, in quibus recipitur. Interest ergo inter ostium ac  
cordis pulsationem, quod licet virtus, ea ex parte  
quam pulsatio præcisè est, si solum efficienter à pul-  
sante (neque enim motus gratia præuenientis, ea ex  
parte quam sunt ab intellectu & voluntate, sunt pul-  
sationes, neque per eas intellectus aut voluntas se  
ipsa pulsant: sed solus Deus est qui per eas intellectu  
pulsat & voluntatem) nihilominus ad actionem  
nem pulsandi nullo modo concurrit efficienter  
ostium, sed solus is, qui pulsat, ineruenti eiunmodi  
actionis efficit sonum, qui si ad aures perueniat exi-  
stens intra domum, auditi percipitur: integrum  
tamen illi manet aperire vel non aperire ostium: ad  
rem verò, quam est pulsatio cordis, necesse est, ut effi-  
cienter concurrat cor ipsum, ut & percipi valeat, &  
inde pro sua libertate, ad aperiendum cor Christo  
Domino, homo moueri posit. Porro in testimonio  
illo Apocalypsi 3, audire vocem Christi, non est il-  
lam percipere, sed ei consentire & obediere.

#### DISPUTATIO XLIV.

*Vtrum credendi, sperandi, diligendi, ac pa-  
tendi actus efficienter emanant à Theologicis  
habitibus in eo instanti, quo ad ipsos ultimum  
disponunt, & quid sit iustificatio.*

**S**uperest finem primæ huius concordiæ parti ex-  
amine propositæ difficultatis imponamus. Vtrum  
seculer supernaturales credendi, sperandi, diligendi,  
ac pœnitendi actus, quibus adulsi ad iustificationem  
disponuntur, in quo instanti ultimum ad habitus Theo-  
logicalum virtutum disponunt, illique à Deo infun-  
duntur, efficienter emanant ab eisdem habitibus  
tunc primò infusis, ut quidam volunt: an verò, ut  
nos à disputatione octaua, & rursus à 36, non ob-  
scure explicasse videmur, tunc non emanent ab ha-  
bitibus, qui posterius natura in eodem temporis mo-  
mento infunduntur, sed effecti sint supernaturales,  
ultimæque dispositiones ad eos habitus, per distin-  
cta auxilia ac motus gratia præuenientis ac excitans  
haec enim explicata: si autem post illud instans in  
eisdem actibus perficiamus, tunc toto tempore se-  
quenti emanentibz habitibus iam infusis, meritoriori-  
que sint augmenti tum gloria tum etiam gratia in  
primo instanti omnino gratis accepta. Inde verò ac-  
cepta occasione simul explicabimus, quid iustificatio  
sit, de quatuor in præcedentibz facta est mentio.  
Diuus Thomas prima secundæ q. i 13, artic. 7. ad  
quartum & art. 8. ad secundum. Caeteranus & Bar-  
tholomaeus Medina ad eundem art. octauum. Sotus  
2. de natura & gratia cap. 18. & in quarto d. 14. q. 2.  
art. 6. & Capus in relect. de pœnitentia parte prima  
ad finem, in ea sunt sententia, vt dicant, ultimam  
dispositionem adulsi ad gratiam efficienter emanare  
à gratia ipsa, in quo instanti gratia primò infundi-

D. Thomas  
opinio.

Molina in D. Thom.

A tur. Quin Sotus affirmat particulae auxilium, quo  
ille actus supernaturalis fit, ultimòque ad gratiam  
disponit, non esse aliud, quam ipsummet influxum  
gratia habitualis ad eundem actum in genere cau-  
fa efficiens.

Hæc sententia probatur primò. Quoniam actus, <sup>Probatur</sup> <sub>primò.</sub>  
quo adulsi ultimò disponit ad gratiam, merito-  
rius est virtus æternæ in eo ipso instanti, in quo gratia  
infunditur: sed non potest esse meritorius, nisi ema-  
nata est gratia: ergo emanat à gratia in instanti, in quo  
gratia infunditur.

Secundo, gratia gratum faciens habitus est ope-  
rativus, agens seu cooperans, quantum est ex parte

B sua, ex necessitate naturæ: sed agens ex necessitate  
nature, præsertim si instantanea agat actione, in quo  
instanti primò est, operatur, ut Sol, in quo instanti  
est productus, illuminauit: ergo gratia gratumfa-  
ciens, in quo instanti infunditur adulto, qui per  
suam operationem tunc ultimum ad eam disponitur,  
cooperabitur ad eundem actum, qui in eo ipso in-  
stanti producitur.

Tertio, causæ in uno & eodem instanti possunt  
esse sibi inuicem causa, atque adeò possunt se mu-  
tuò procedere in alio atque alio genere causa, ut,

C quando aëris suo motu aperit fenestram & ingredi-  
tur aulam, in genere causa efficiens prior est aëris  
ingressus, quam aperto fenestra: ingrediendo quip-  
pe aperit fenestram: at verò in genere causa dispositi-  
& quasi materialis, cum fenestra aperio, dispo-  
sitio, conditio prærequisita sit, ut aëris ingredatur,  
prior est, quam aëris ingressus: item iuxta eos, qui re-  
solutionem fieri affirmanl vsque ad materiam pri-  
mam, in quo instanti introducitur forma substantia-  
lis ignis, ab ea efficienter emanat calor, quo conser-  
uetur in materia, atque adeò in genere causa effi-  
cientis forma substantialis præcedit in materia suam  
requiritam dispositionem: tametsi in genere causa  
materialis ac dispositiæ prior sit illa eadem dispo-  
sitione in materia: exemplum etiam adhucit D. Tho-  
mas in aëris illuminatione, quam in genere causa ef-  
ficientis antecedit expulsionem tenebrarum: cum  
tamen in genere causa materialis prior sit tenebra-  
rum expulso, quam luminis receptio: eodem ergo  
modo in genere causa efficiens prior erit gratiae  
infusio, vteriorque illius influxus in actum, quo  
adulsi ultimò se disponit ad gratiam, quam sit dis-  
positio illa: cum tamen in genere causa materialis  
prior sit ea dispositio, quam gratia animam infor-  
met, ad eumque actum influat.

F Non defuerunt, qui cum sentirent adiuti iustifi-  
cationem completi actibus virtutum infusarum af-  
firmaverint habitus Theologicarum virtutum effi-  
cienter concurrens ad adulsi iustificationem, eaque  
de causa actus credendi, sperandi & diligendi, in  
quo instanti sunt ultima dispositiones ad habitus, &  
in quo ipsi primò infunduntur, efficienter ab eis-  
dem habitibus produci. Atque id probabant ex ver-  
bis illis Concilij Tridentini, l. f. 6. cap. 7. In iustifi-  
catione cum remissione peccatorum hec omnia simul in-  
fusa accipi homo per Iesum Christum cui inservitur, si-  
dem, fides & caritatem: nam fides, nisi ad eam fides acce-  
dat & caritas, neque unis perfecte cum Christo, neque  
corporis eius viuum membrum efficit.

Hinc eiunmodi elicabant argumentum, quod or-  
done sit quartum. Vniuers & efficere membrum viuū,  
efficientiam proculdubio significat: cum ergo hac  
efficientia posita non sit in habitu infusorum  
informatione, qua animam illiusque potentias in-  
formant, sed in eundem habitu infusu ad

Xxx actus